


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010445

LACHRYMÆ VECTIGALES,

in luctuoso occasu

PERILLUSTRIS OLIM & ADM: RNDI DOMINI,

D. ALBERTI LAKTANSKI,

CANONICI CATHEDRALIS POSNANIENSIS,

Custodis in summo Beatæ M. V.
Decani Foranei, Præpositi ad S. Nicolaum &c. &c.
Viri de Ecclesia meritissimi
Et Academiæ Posnaniensis Benefactoris munificentissimi.

E F F V S Æ.

& ad feralem tumbam, in posthumam æterni nominis famam, dolenti calamo
à

M. THOMA IAMBICKI
Philosophiæ Doctore, & in Academia Posnaniensi Poëseos Professore,

P E R S O L V T Æ.

Anno Vagientis in Fascijs Æternæ veritatis
M.D.C.L.XXXIX. Die 7. Decembris.

LACHRYMÆ VECTIGALES.

Procul exeſte hinc
conducti venalium Præficarum luctus,
procul facundi Oratorum latices;
Vbi fæcundior plorationi, quàm OratorumOrationi, aperitur campo.
Quippè,
odit fucata lachrymarum lenocinia ſerius dolor.
neq; amat Præficas, erudito, ſimulantes, eiulatu, leſſos:
præſertim, cùm fortiùs agit in pupillam, quàm in linguam.
Nempè
alibi jam mentiantur lachrymæ:
quia remedium exindè doloris habent, non vulnus.
Nobis certè,
inter hæc triſtia, tales diſplicent,
cum veros & vectigales, dolor expoſcit planctus:
Diſplicent etiam & Oratorum fontes,
Vbi
pluuio lachrymarum ſtillicidio ſtagnant oculi.
Nimirùm,
non ſapit melleus Atticæ dulcor,
cui inter bellaria doloris, lethea pocula fatalis propinat Medæa.
Torpet ſæpènumerò Periclis facundia,
vbi linguam occupat mutus Orator, dolor:
& lachrymis ad cor perorat.
Fortiùs enim Pericle mouent lachrymæ,
cum per laceratas mentium fibras,
ad æneas cordis columnas, feruntur.
Has ergò
Perilluſtris olim, & Amd: Reuerendus Dominus,
ALBERTVS
LAKTANSKI
CANONICVS POSNANIENSIS,
inter ferales cupreſſos, extorquet à nobis vectigales:
quibus

quibus, velut inciſis ab Alcimedonte notis,
faſtis æternitatis inſcribatur.
Meretur hoc eius operoſa virtus,
Vt, extra Parios lapides, & cruſtata opera,
ex lachrymis noſtris, glorioſæ memoriæ illius ſurgat monumentum.
Merentur & Virilis ſapientiæ decora,
quibus
adimmortalem poſthumi nominis famam aſſurrexit.
Scilicet,
ætas illius, à primis vitæ vnguiculis, uſq; ad occaſum diei,
in hoc magnopere deſudauit,
Vt nihil ageret, quòd non omni encomio dignum eſſet.
Vnde.
illi prima ventoſæ iuuentutis, cura fuit,
(*in qua totius vitæ, momentum & cardo vertitur,*)
Vt non per diſſipatás ciſternas, ſed in fontibus ipſis quæreret ſapientiam
Quare
Studiorum in florida ætate rudimenta Lubranſcianæ Palladi debet,
ſub cuius ſigno,
ceu veteranus miles, tyro militauit.
à qua poſtea digreſſus,
ocyùs ad fontem ſapientiæ accurrit, nimirùm ad Academiam Cracouienſem,
ad quam, velut in Colchidem Iaſon,
aureum altioris Mineruæ vellus rapturus, properauit.
Et nec inani vota ſua crepuère vento.
Ita enim ibi
ſtudia illius creuère in ſolidum ac exactiſſimum opus,
vt breui lauru Philoſophicâ meruèrit inſigniri.
Quid ni ALBERTO
feraces Academi ſyluæ laurum inflectere non debuiſſent?
cuius pertinax, labor & Herculea virtus,
ſæpè in ſtoâ porticu, non ſine triumpho & plauſu,
fœdiſſima ignorantiæ portenta bellauit.
Neminem quippè arcere debet, ab arce honoris, inuicta laboribus virtus.
ſiquidem honos virtutis alimentum & anima.
Iamq; fauſto laboris remigio,
poſt ſuperatas Philoſophiæ ſymplegadas, & laurus obtentas,
ad diuinioris ſcientiæ arcana animum diuertit.
Suxit iam, non ex Eurippo Ariſtotelis, ſed ex aquis Aquinaticis, pretioſos vniones:
quos

quos
in cerebri sui concha claudebat;
vt eis olim sponsa Dei Ecclesia ornaretur.
Iunxit & Diuiniori scientiæ Iurisprudentiam,
Vt in illo
postea haberet sacra Themis suum tripodem,
ex quo Oracula, ad seria iudiciorum responsa, funderentur.
Tandem
tot lustris, in literarum characteribus, consumptis,
ad diuiniorem characterem animum adiecit.
Itaq;
è docta stoæ porticu, ad portum tranquillioris vitæ,
nimirùm Altaris se transferr.
ex Academicis lucis, in lucem inaccessibilem intendit oculos;
cum se tingendum sacro ceromate submisit.
Tingendus enim erat diviniori oleo,
qui oleum & operam in literis non perdidit.
Cæterùm,
factus iam Mystes Diuinus,
tàm modestissimo de se sensu fuit,
vt noluerit præcipiti gradu, ad Ecclesiasticos honores currere,
ni saltum Rhodium illis præmisisset.
Primùm ille ad honores minori cymbâ vehi voluit;
antequam onerarias conscenderet,
cum numero Vicariorum Ecclesiæ Cathedr: Posnaniensis se adscribi passus est,
Timuit sanè hoc in passu, nè Pyrænei,
doloso sepultam cinere, redordiretur ruinam.
qui subitò ex Regia, ad Parnassi verticem progressus fuerat.
Sed
Virtutem etiam invitam, debita sequitur gloria & honos,
& quantò quis eam premit, tantò pulchrius erumpit
velut post nubila Phæbus.
Ecce, cùm latet Mystes noster in arena Vicariorum,
traxit omnium in se oculos.
illâ intaminatâ vitæ integritate, & cælestis verbi prædicatione;
quâ per Ecclesiasticos Delphos refulsit:
vt ei cederet Præpositura S. Nicolai.
in qua

qualem se, vsq; ad senium diei, suo gregi exhibuit Pastorem,
clarius lympidâ crystallo patet:
cum in sacris eius rostris mori coluit.
Sed
parùm erat, hancce virtutem illius, hoc honore insigniri,
nisi, vt Apostolicus, & Perangusti Capituli Posnaniensis
Notariatus, ei contingeret;
& inter selectissima Ecclesiæ Collegiatæ in summo B, V:capita,
Custos proclamaretur.
Egit ipsi prodromum ad hoc,
augustæ scientiarum Iurisprudentiæ aureus tripos;
qui hoc effecit, ut ei arcana Perangusti Capituli,
ceu alteri Ephestioni à Macedone concrederentur.
Multa enim ille suæ fidei commissa,
multa in perplexis negotiis Capitularibus credita,
celebriter, & non sine triumpho gessit.
quæ ego ut immensa, alto veneror silentio,
nè videar Oceano isthmum affundere.
Hoc mihi ad præsens, in ebore paginæ huius, adnotare liceat.
Lydius animorum lapis, & nitidissima cordis Præsulei pupilla,
Illustrissimus & Rndissimus Dominus
D. STANISLAVS
in magna Witwica
WITWICKI,
EPISCOPVS POSNANIENSIS,
cum ad lancem iudicii, irrequietos labores, & magnitudinem meritorum eius,
in Ecclesiam suam acceperit,
dignum censuit, vt inter splendidissima Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis
lumina & columina,
hæc lucida meritorum Pharos, coruscaret.
ad quod, Perillustrium & Reuerendissimorum Prælatorum & Canonicorum
centuriata suffragia, & vota præiuêre.
Sed eheu!
Vix dùm in hac specula honoris eminere incipit,
ecce violenta fati necessitas, vt hostis & scopulus,
ad quem humanæ vitæ classes naufragantur,
hosce honorum eius titulos, ad sepulchrales vmbras & vrnas damnauit.
Causam morbi nequære;

quia fractus senio, & pertinacibus curis, fatali somno concedere debuit.
O dura! & adamantina mortis sæuitia!
quæ in humanis splendoribus ludit, cum eis illudit,
vt nihil eorum memoriæ supersit.
Sed absit.
Virtus & sapiens animus, etiam post funera viuere debet.
Ergo viuet, nobilioreq; parte sui vitabit libitinam,
Perillustris olim & Adm: Rndus Dominus
ALBERTVS
LAKTANSKI,
cuius ingens animi decus, eximiâ virtute paratum,
æternum sibi in cordibus omnium, struxit monumentum,
Viuet illius profusa in Lubranscianam Palladem,
in oblato sibi prælo, liberalitas;
cumq; eripiet fatis, cum fastis æternæ memoriæ,
immortale nominis eius decus exarabit.
Neque pluribus allaboret calamus.
Prælum, vltimis tabulis oblatum, sit præmium æternæ beatitudinis
quam inter nostra suspiria,
Lachrymis Vectigalibus
consignamus.



13 2

P. l. ol.

Hist. Polon.
6 Spec.

23

